

FLORYSTYKA I SYSTEMATYKA ROŚLIN NACZYNIOWYCH

BOGUMILUS PAWŁOWSKI

Armeria pocutica B. Pawł.

Wpłynęło 2. I. 1962

Anno 1935 in Carpatis Boreali-Orientalibus *Armeriam* repperimus quae primo aspectu *A. elongatae* (Hoffm.) Koch simillima sed cum ea non arcte congrua apparebat. Szafer (1946) primus plantae nostrae notam differentialem maximi pretii, i. e. heterophylliam, animadvertit eamque hanc ob causam *A. canescenti* Host, speciei balcanico-italicae adnumeravit. Sub quo nomine in opere „Rośliny Polskie“ (Szafer, Kulczyński, Pawłowski 1953) indicatur.

Attamen speciminibus nostris nuper exactius examinatis persuasum habeo, ea ab *A. canescente* Host vera (cfr. Novák 1938, 1939) notis gravibus discrepare. Itaque plantam nostram ut speciem novam distinguo. Cuius descriptio sequitur.

Armeria pocutica B. Pawł. nova species

E serie *Heterophyllae* Beck (1898)

4. Dense caespitosa, heterophylla. Folia exteriora late linearia usque angustissime lanceolato-linearia, basin versus saepius paululum angustata, 1.5—3.5 mm lata, 3—5 - nervia, nervis lateraliibus duobus in laminae parte inferiore magis conspicuis, in parte superiore $\pm$ obsoletis, ceteris duobus (si nervi 5 adsunt) totis obsoletis; folia interiora angustissime linearia, 0.5—1 mm lata, obsolete 3-nervia; folia omnia $\pm$ aequilonga, elongata (usque ad 18 cm), margine minute sparse ciliolata, ceterum glabra, apice obtusa vel acutiuscula. Scapi 30—50 cm alti, glaberrimi. Vagina infra capitulum, scapi partem supremam amplectans, 18—28 mm longa. Capitulum — una cum corollis — 2—3 cm latum. Involucri phylla brunneo vel rubescenti-brunneo cincta; exteriora 8—13 (20) mm longa, in apicem longiusculum obtusiusculum vel acutiusculum angustata, interioribus 7—9 mm longis apice rotundatis vel truncatis longiora. Calyx — secundum mensuras W. Szaferi (1946) —

6—7·8 mm longus (plurimus minimusque numerus: 7·2 mm), tubo in costis, i. e. decemfariam piloso, inter costas glabro; dentes late triangulares, in aristam longiusculam 0·7—1 mm longam abrupte contracti. Corolla satis dilute rosea. — Fig. 1 et 3.

Carpati Boreali-Orientales, Districtus geobotanicus Pocutico-Marmarossicus: „Topilczy“ in valle fluminis Czarny Czeremosz, supra ostia rivi Dzembronia, in graminosis, alt. 750 m s. m., 12. 7. 1935, lg. S. et B. Pawłowsky — speciei typus in Herbario Instituti Botanici Universitatis Jagellonicae, Cracoviae; ibidem, lg. J. Małdalski. Vidi specimina 13.




Fig. 1. *Armeria pocutica* Pawł. 1 et 1 a — folium interius; 2 et 2 a — folium exterius; 3 et 4 — phylla involucri exteriora; 5 et 6 — phylla involucri interiora; (del. M. Mendecka)

Verisimile est etiam plantam iam prius a T. Wilczyński (1929) in cacumine Popadia in Montibus Czywczynensibus (spatio ca. 26 km a statione nostrae speciei separato) detectam ad *A. pocuticam* pertinere. Wilczyński ipse plantam suam sub nomine „*A. elongata*...“ indicavit cum adnotatione „possibile est plantam Montium Czywczynensium aliae speciei, i. e. *A. majellensi* Boiss., ceterum ad *A. elongatam* prope accedenti, adnumerandam esse“.

A. pocutica planta est memorabilis, seriei *Heterophyllae* Beck adnumeranda, sed quodammodo medium tenens inter *A. canescentem* Host (e serie *Heterophyllae*) et *A. maritimam* (Mill.) Willd. subsp. *elongatam* (Hoffm.) Bonnier (e serie *Isophyllae* Beck). Differt ab *A. canescente* foliis etiam exterioribus valde elongatis, non brevioribus quam folia interiora; foliis omnibus margine ciliolatis; vagina infra capitulum longiore; involucri phyllis exterioribus quam interiora longioribus, in apicem angustum sat longum productis. *A. canescentis* omnia specimina a me visa foliis glaberrimis gaudent; secundum Hayek (1928) et Novák (1938) sola for. *dasyphylla* Rohl. (rara) folia margine et in nervis ciliata habet; vaginam infra capitulum in hac specie solummodo 10—15 mm longam observavi.

A. pocutica cum *A. maritima* subsp. *elongata* foliis margine ciliolatis nec non involucri phyllorum configuratione congruit, differt tamen optime foliis manifeste biformibus, praeterea etiam notis minoris pretii: capitulis paululum maioribus et calyce submaiore. Capitula *A. elongatae* 1—2 (2.5) cm lata sunt, calyx — secundum mensuras W. Szaferi — 4.8—7.2 mm longus (plurimus minimusque numerus — in speciminibus diversae provenientiae — 5.84—6.45 mm).

A. pocutica ad eas species endemicas Carpatorum Orientalium accedit, quae horum montium relationes phytogeographicas cum montibus Peninsulae Balcanicae in lucem efferunt. E quibus speciebus *Minuartia oxypetala* (Wol.) Kulcz. et *Heracleum carpaticum* Porc., similiter atque *Armeria pocutica*, solummodo in Carpatis Boreali-Orientalibus occurrunt, in Carpatis Meridionali-Orientalibus desunt et a cognatis suis proximis balcanicis disiunctione permagna separantur (Pawłowski 1947). Propter quam distributionem geographicam origo vetusta taxorum de quibus agitur admittenda mihi videtur.

A. pocuticae positio intermedia inter *A. canescentem* et *A. elongatam* coniecturam de eius origine hybrida capere permittit. Attamen origo talis nonnisi in temporis periodo vetusto possibilis esset. Etenim hodierno tempore *A. pocuticae* stationes a stationibus proximis *A. elongatae* prope oppidum Jaworów (stationes in Romania sitae verisimillime non sunt spontaneae — cfr. Simonkai 1886, Răvărut 1960) spatio plus quam 200 km, a stationibus proximis *A. canescentis* spatio plus quam 500 km separantur (v. fig. 2). — *A. pocuticae* pollinis grana examinata omnia (100%) optime evoluta observavi. Quod coniecturam de origine hybrida plantae nostrae non confirmat. Nec eae tamen contradicit; etenim et hybridae nonnullae interspecificae et eo magis species hybridogenae, sed quod ad characteres morphologicos stabiles polline bene evoluti gaudent.

In fig. 2 areae geographicae trium Armeriarum delineatur: *A. pocuticae*, *A. canescentis* et *A. maritimae*.

A. canescens Host.: area secundum Novák (1938).

A. maritima (Mill.) Willd. (inclusa subsp. *elongata* [Hoffm.] Bonn.): area sec. Gams (1927), Christiansen (1932), Szafer (1945, 1946), Hultén (1950), cum correctionibus secundum Abromeit (1926), Hryniewiecki (1933), Janchen (1958), Jávorka (1925), Jávorka-Soó (1951), Karpowicz (1930), Kłokow (1957), Majewskij (1954), Paczowski (1898). Praeterea herbarii materia usus sum in Herbariis Institutum Botanicorum Cracoviensium asservata, e qua sequentes locos natales subsp. *elongatae* adhuc non promulgatos accepi:

Pogorzyce, distr. Chrzanów, 8. 6. 1933, lg. K. Rouppert; Kroczywiech, distr. Chrzanów, 8. 5. 1936, lg. M. Mazarak; Mrowla, distr. Rzeszów, 11. 8. 1932, lg. J. Jemioła; Małogoszcz, distr. Jędrzejów, 29. 7. 1925, lg. K. Kaznowski; Minojty, distr. Lida, 22. 6. 1893, lg. T. Symonowiczówna.

Stationes subsp. *elongatae* in Romania sitae in tabula geographica nostra omissae sunt, quia — praecipue quod ad spontaneitatem earum pertinet — dubiae mihi videntur.




Fig. 2. 1 — *Armeria maritima* (Mill.) Willd., incl. subsp. *elongata* (Hoffm.) Mansf.; 2 — *A. pycnantha* Pawl.; 3 — *A. canescens* Host; (del. M. Mendecka)

BIBLIOGRAPHIA

1. Abromeit J., Neuhoff W. u. Steffen H. 1898—1940. Flora von Ost- und Westpreussen. Königsberg. (*Armeria*: 1926).
2. Beck G. 1898. Flora von Südbosnien und der angrenzenden Hercegowina. IX. Teil. Ann. naturh. Hofmus. XIII. 1. Wien.
3. Christiansen W. 1932. *Plumbaginaceae*, in: O. Kirchner, E. Loew, C. Schröter, Lebensgeschichte der Blütenpflanzen Mitteleuropas, IV. 1. Stuttgart.
4. Gams H. 1927. *Plumbaginaceae* in: G. Hegi, Illustrierte Flora von Mitteleuropa, V. 3. München.
5. Hayek A. 1928—1931. Prodromus Florae peninsulae Balcanicae. 2. Rep. spec. nov. reg. veg. XXX. 2.
6. Hultén E. 1950. Atlas of the distribution of vascular plants in NW. Europe. Stockholm.
7. Hryniewiecki B. 1933. Tentamen Florae Lithuaniae. Arch. Biol. Soc. Sc. Lett. Varsovie, IV.
8. Janchen E. 1958. Catalogus Florae Austriae. I. 3. Wien.
9. Jávorka S. 1925. Magyar Flóra. Budapest.
10. Jávorka S., Soó R. 1951. A Magyar Növényvilág kézikönyve. Budapest.
11. Karpowicz K. 1930. Przyczynek do znajomości flory powiatu Nowogródzkiego. Planta Polon. I.
12. Kłokow M. W. 1959. *Plumbaginaceae*, in: Flora URSS VIII. Kijów.
13. Majewskij P. F. 1954. Flora sredniej połasy jewropiejskoj czasti SSSR. 8. izd. Moskwa—Leningrad.
14. Novák F. 1938, 1939. De Armeriis balcanicis nonnullis. Vest. Kral. Čes. Spol. Nauk I. Roč. 1938, II. Roč. 1939.
15. Paczoski J. 1899. Flóra Poliesja i prileżjaszczich miestnostiej (prodołż.) Trudy imp. S.-Pietiersb. Obszcz. Jest., Otd. Botan., 29.
16. Pawłowski B. 1939. De positione systematica nec non affinitate *Minuartiae oxypetalae* (Woł.) Kulcz. Acta Soc. Bot. Pol. XVI.
17. Pawłowski B. 1947. Caractéristique géobotanique générale des Monts de Czywczyn. Büll. Ac. Pol. Sc. Lett., Cl. Sc. Mat., Nat., Sér. B (I) 1946.
18. Răvărut M. 1960. *Plumbaginaceae*, in: Flora Reipublicae Popularis Romanicae, VII, Bucureşti.
19. Schube Th. 1903. Die Verbreitung der Gefässpflanzen in Schlesien. Breslau.
20. Simonkai L. 1886. Enumeratio Florae Transsilvanicae vasculosae critica. Budapest.
21. Szafer W. 1945. Kopalna *Armeria* w plejstocenie europejskim ze szczególnym uwzględnieniem plejstocenu w Polsce. Starunia 20.
22. Szafer W. 1946. Rodzaj *Armeria* Willd. w Polsce. Acta Soc. Bot. Pol. XVII. 1.
23. Szafer W., Kulczyński S., Pawłowski B. 1953. Rośliny Polskie. Warszawa.
24. Wilczyński T. 1928. Zapiski florystyczne z Karpat Pokuckich. II. Rozpr. i Wiad. z Muz. im. Dzieduszyckich. X. 1924—1927. Lwów.




Fig. 3. *Armeria pocutica* Pawł.

Phot. mgr St. Luczko